

Pars. .VI. **C**a. .III.
 vellet eos inducere ad imolandum seipsos: vel filios suos & fi-
 lias: & offerendū tam propriū sanguinem q̄ filiorum & filiarū
 suarum: sicut & fecit vt eos plenius possideret: vel ī memoriā
 protectionis siue defensionis: vel potius vindicte: que p̄missa
 est eis **Gen. ix. vbi dicit. Carnem cum sanguine nō comedetis**
 sanguinem inquit animarum vestrarum requiram de manu
 omnium bestiarum. **Et iterum. Quicūq; fuderit sanguinem**
 humanum: fundet sanguis illi. **Et iuxta illud possit intelligi**
 sanguis pro anima: id est pro vitā. sub hoc sensu: sanguinem
 vestrū requiram: id est vitā. **Et qui fuderit sanguinē humanū**
 id est qui vitam humanam extinxerit: fundetur eius sanguis:
 id est extinguetur vita eius. **Illud q̄ pretermittendū non est: qd̄**
 peruersē imitationis simia dyabolus: etiam diuini cultus: & ho-
 norificentie gloriā: quā primos patres exhibere vidit deo al-
 tissimo: a deceptis hominibus sibi suggestit impendi. **Ex his etiā**
 non contentus ampliora requirere non expauit: propter hoc
 suggestit nōnullis: vt nō solum animalia illi: sed etiam proprios
 filios & filias imolarēt. **Insanissimus enī ambitō falsi honoris**
 et glorie deo altissimo inuidit: considerans obedientiā & deuotiōz
 abrae: qua filium vnigenitū deo voluit imolare. **Quapropter**
 a multis eorum q̄s decipere potuit: non voluntatē tantum: sed
 etiam imolatiōz impiissimam atq; sacrilegā requisit. **E**
Adipem omniū sacrificiorū sibi retinuit & sanctificauit deus
 sicut renes atq; renunculos. **Causa autē adipis: videlicet ppter**
 quam retētus est: videt esse duplex: vna quia ydolatre strarū
 faciebant: sicut legitur **Deut. xxxi. De quorū victimis come**
 debant adipem & bibebant vina libaminū. **Alia causa: vt in dei**
 sacrificijs gula detraheret: & in ipsis sobrietas seruaret. **Tercia**
 fuit honor dei: qui potiorū atq; pinguiorū oblatione hono-
 rabatur. **Minueretur enim dei honor in sacrificijs: si pars eius**
 deterior offerretur. **F** **Q** autē pedusculum & armū dexterū
 in partem voluit cedere sacerdotum: causa fuit: dissimulatio &
 elongatio ab ydolatria: & forte ab ea parte diuinationis: que
 adhuc spatulo mātica nuncupat: qua maxime exēbant spa-
 tulis: & ex eis animalium imolatiōz. **Modi vero occidēdi**
 animalia imolatiua: id est iugulatio: decollatio: colli intōsio:
 iuxta literam nullā aliam videntur habere causas: quam elon-
 gationem ab ydolatria. **Quia videlicet alios modos habebant**
 ydolatre occidēdi animalia imolata.

Post agnum pascalem sequuntur alia sacrificia:

Capitulum. .V. .A.